

narravit. Sic in Libri, quem dixi, de morib. Germanor. capite XX. *heredes, inquit, successoresque sui cuique liberi, et nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione, fratres, patru, auunculi.* Vbi mirum, Tacitum omittere parentes et ascendentes. Perinde ac si, his praeteritis, hereditas, non extantibus descendentes, statim ad collaterales transisset. Ast dubitandum non est, quin aequè apud Germanos ac Romanos tres succedentium ordines, descendentes, ascendentes et collateralium, inualuerint. Quid quod ascendentes maiores nostri hereditatem detulerunt, etiam germanis fratribus exclusis, secus ac iure Romano. Ex quo esse opinor, quod etiam nunc iure Saxonico nulli collaterales ad successionem vna cum ascendentes admittuntur. Sächs. Land. R. Lib. I. art. 17. Id quod et Belgicis moribus est consentaneum. Greu. ad Instit. loc. difficil. Diff. X. th. 6. Ceterum illud ex recitatis Taciti verbis patet, vetustissimo Germanorum more repraesentationi haud fuisse locum. Nam si, vt ait, proximus gradus post liberos in successione vtramque fecit paginam, concidit successio vicaria. Deinde quum huius, quod supra ostensum esse crediderim, ne inter descendentes quidem haberint rationem prisca Germani, multo minus inter collaterales eandem fuisse obseruatam credendum est. Neque desunt antiquorum Germaniae populorum constitutiones, quibus iuri repraesentationis in successione collateralium repudium diserte est remissum. Ita Legis Wisigothorum Lib. IV. tituli II. paragrapho 4. 5. et 8. prouisum legitur, liberis et parentibus non extantibus, hereditatem fratribus fororibusue ac dein eorum earumue liberis non in stirpes sed capita, quae succedendi ratio repraesentationem excludit, hereditatem esse deferendam. Ceterum huc non pertinere videtur exemplum ex Legis Langobardorum Libri II. Tituli 14. §. 1. desum-

E

tum